

sus sit, aut tempore Marbodi et forte ejus cura diligenter exaratus, aut certe non diu post ejus obitum.

5. Videtur autem sermo isle dictus a Marbodo, cum esset archidiaconus Andegavensis, id est ante annum 1096, quo Redonensem in Britannia Armorica episcopatum tenuit, tum quia in Vita S. Licinii Andegavensis episcopi, quæ sermone, in codice primum locum occupanti, proxime subnectitur, et expresse nominat archidiaconum « Andegavensis ecclesie, » tum quia in ipso sermone non obscure significat se dicere in ea diocesi, in qua tanquam patronus colitur S. Florentius; quandoquidem num. 24 incitans auditores ad imitanda sanctorum exempla, in hunc modum peroret: « De vicino sumamus exemplum. Habemus ante oculos a Deo nobis provisum peculiarem patronum, ut non sit nobis necesse imitabile aliquid ex alieno mutuari: et licet eadem inveneri possint in aliis, de propinquo tamen, quam de remoto fonte æque dulces aquas plus delectat haurire. » Sunt autem in Andegavensi diocesi duo cœnobita, quorum præcipuus patronus est sanctus noster, Glonnense scilicet seu *S. Florentii vetus*, et Salmurien-*e seu novum* ejusdem sancti nomine insignitum. Cæterum auctor hic, quantumvis doctus et eruditus, biographi nostri anachronismum non advertit: conjunxit Florentiam Florianum, et in reliquis rebus presse secutus est eundem biographum, ad quem num. 2 pro clariori intelligentia auditorem remittit, « Lege, inquit, Vitæ ipsius (sancti nostri) libellum. » Hinc hæsitavi, utrum cum Actis sermonem hunc ederem; quoniam ex illo nil certius quam ex istis determinari potest. Edendum censeo, tum quia cum polliciti fuerant majores nostri, tum quia eruditus est ac pius, atque adeo rarus, ut hætenus, quod sciam, a nemine, præterquam ab hisdem majoribus nostris et hoc seculis, fuerit memoratus, nedum prelo vulgatus: quanquam Antonius Beaugendre ordinis S. Benedicti religiosus opuscula ejusdem Marbodi magno studio collecta imprimi curaverit anno 1708, tum denique quia vel ex eo patebit, quanta esset sæculo xi S. Florentii veneratio.

SERMO IN VITAM S. FLORENTII

PARS PRIMA

S. Florentius martyr desiderio et in omni virtutum exercitio confessor egregius.

In sancti hujus Patris nostri Florentii solemnitate, licet ejus virtutibus explicandis sermo tenuis nequaquam possit sufficere, non tamen ex toto convenit nos silere, ne, metuentes de præsumptione redargui, de diffidentia justius vel negligentia judicemur. Deo etenim nostro, cujus ad laudem refertur quidquid in sanctis ejus laudabile prædicatur, non tam placet orationis varietas, quam rerum veritas, et gratiores illi sunt dicentium mentes puræ, quam decentium verborum multicolores purpuræ. Proinde ad laudem ipsius, qui in sanctis suis gloriosus est, et ad ædificationem legentium de sancti hujus meritis tentemus aliquid loqui simplici oratione, sed devotione multiplici. Sic enim fiet, ut et debitum patrono nostro in die festivitatis ejusdem solvamus obsequium, et in laudem Dei fidelium mentes excitemus: nobis quoque ipsis propositam habeamus formam virtutum, quam si volumus imitari, velle autem debemus, directo itinere procul dubio gradiemur in cœlum, quo, sicut indubitanter credimus, ille pervenit, quem nobis sequendum proponimus. Ardua quidem via et difficilis ascensus, sed iter ad Deum molientibus auxilium divinum deesse non poterit, ipso eodem interveniente beato viro, cui fuit « auxilium abs te, Domine, qui et ascensiones in corde suo disposuit in valle lacrymarum in lacum quem potuit. (Psal. LXXXIII, 6). » Hujus ergo secuti vestigia, « de virtute ibimus in virtutem, visuri et ipsi Deum deorum in Sion (ibid.). »

2. Quapropter et nostræ et aliorum saluti consultum facere cupientes, audaciam sumimus ex charitate sermonem de illo suscipientes, quem et

A loqui digne non possumus, et tacere penitus non debemus. Talis enim ac tantus iste est, ut multorum præconiis solus sufficiat, cum nullius præconia sufficiant soli. Siquidem solus ipse est, ut ita dixerim, multitudo, in cujus persona multorum invenitur perfectio. Nam si martyrem requiras non cujuslibet patientiæ, sed impatientis quodammodo animositate et cujusdam virtutis ebræ præclaro calice sic infusum, ut veluti non sensurus provocare videatur injurias; vide Florentium ultroneum ad supplicia quærentem pœnas, prodentem se satellitibus, ingerentem tribunalibus, postremo tanta aviditate mortem sequentem, quanta eam fugere solent alii. Lege Vitæ ipsius libellum, quomodo libens curat Lauriacum (89), hoc loco nomen, ubi Aquilinus præses victricem laurum crudelis beneficis erogabat. Et quid videbis in Florentino nisi choros castrorum? Tanta quippe alacritate, tanta constantia in hostiles gladios ferebatur, ut non unus miles, sed totus credi posset exercitus. Unde factum est ut flagrans martyrii desiderium reputaretur ei ad martyrium, et apud Deum diuturna vita judicaretur dignissimus, qui festinam mortem sedulus appetebat.

3. Reservandus itaque multorum utilitatibus per administrationem angelicam solutus a vinculis, divinæ jussionis oraculo subtractus est passioni, paulo minus coarctatus et anceps, utpote propter se dissolvi cupiens et esse cum Christo (Philipp. 1, 23), manere autem in carne necessarium intelligens propter alios. Augebat tamen gloriosæ mortis desiderium jucundissimi collegæ sui et fratris in Christo Floriani contubernium, cum quo et unanimiter vixerat et magnanimitè emori cupiebat. Cogitabat, quanta fratrem Florianum felicitas mox maneret, quem ipsa eadem die cum triumphali palma cœlestem aspiciendum videbat in regiam; sibi labores restare

(89) Lauriacum (*Lorch*) urbs olim Norici, nunc vicus Austriae superioris haud procul ab Anno summe.

plurimos, obeunda sibi non pauca pericula, se rigerio, quod jam mente conceperat, prolixioris martyrio suspendendum. Et ob hoc, si fieri st, vellet accipere et bibere cum fratre suo calisalutaris, ut per calicis tristitiam cum eodem transiret ad gaudium eternæ salutis. O quale illud pro temporis brevitatem prolixum, pro diuinis magnitudine breve nimis colloquium, cum is satellitibus, excitatus ab angelo Florianum antius excitasset, et diuinæ illi voluntatis appet mandatum (90).

Magnus in verbis illis mutus dilectionis redolent affectus, sed major erga Deum in utroque cultu reverentia cernebatur. Vellet uterque vivere pari cum altero, sic tamen ut Deum offendere t in neutro. Pateretur ergo libenter Florentius, B nallet eum vivere Deus vivus. Sed qui seipsum passus nec sibi vivens, nec sibi moriturus, quam imperatorem suum, cujus in verba juravit, id velle persensit, non ausus contra imperium stem pugnare, nec tamen invitus paruit jus, ut qui bene nosset, non minori pœna multan- imperii tumidum transgressorem, quam impe- is timidum desertorem. Certus nihilominus de- ita sibi corona justitiæ, quam reddet illi Do- e justus iudex. Jam quidem sanctæ animæ red- at justitiæ corona; sed reddenda est quandoque rpori, in quoerrarum cæsuras et vulnerum rices, stigmata scilicet Jesu, vivens portavit. um enim, ut credimus, domestici fortis illius aris, qua significari videtur Ecclesia, vestiti omnes duplicibus; sed datæ sunt illis singulis C albas, et dictum est illis, ut requiescant tempus o modicum, donec impleantur conservi eorum i singulatum bysso vestiuntur in anima, simul s in corporibus amiciantur et purpura: tunc reddendam illi non dubitamus a justo iudice yris ilibatam mercedem, apud quem perfecta itas operis velut opus est perfectæ voluntatis, eaus ut de martyre.

Si vero confesorem libeat intueri, tranquillæ s officia dispensantem, consulentem anxios, pa- nantem reis, sustentantem imbecillos, curan- infirmos, gaudentem cum gaudentibus, flentem flentibus, habes eundem Florentium, tanquam strensi forenssem, velut ex loricato togatum, ninorem in pacis otio gerentem solertiam, quam D illi negotiis præfererat audaciam. Quis enim in adictis operibus misericordiæ frequentior inve- :? Nam postquam jussus exire de terra et de co- lione sua et venire in terram hanc, voluntarius lavit: non enim habebat hic manentem civita- sed futuram inquirebat: postquam ergo, salva sedentis laboris remuneratione, a militia quasi status est ad agriculturam, non cessavit in Do- i vinea, quantum potuit, laborare, putator peri-

) Hæc scilicet Marhodus vir doctrinæ ac pie- fama celebris pronuntiavit juxta fidem Vitæ do iz ab anonymo conscriptæ, quam vel aliam

tissimus vitiorum, propagator virtutum, faciende verbis insinuans, operibus insinuata commendans.

6. Plane huic beatæ animæ convenire videtur ju- cunda illa Sponsi cœlestis exhortatio, post infideli- tatis hiemem et imbrem persecutionis sub tempus putationis vinearum invitantis amicam: « Surge, inquit, amica mea, speciosa mea, et veni: ostende mihi faciem tuam; sonet vox tua in auribus meis, vox enim tua dulcis, et facies tua decora (Cant. ii, 43). » Surge, inquit, amice Florenti, persecutio tua abiit et recessit, non est tibi concessum martyrium, et veni in terram quam monstravero tibi, in partes scilicet Galliarum, ubi ostendam tibi locum habita- tionis tuæ; ibi et tu ostende mihi, id est meis, fa- ciem tuam, hoc est opera: « quod enim uni ex mi- nimis meis facit quis, hoc mihi facit (Matth. xxv, 40); » sonet vox prædicationis tuæ in auribus meo- rum; vox enim tua dulcis et opera tua decora. Post tempus plantationis tempus putationis advenit. Om- nis enim tempus habent, et suis spatiis transeunt universa sub cœlo. Vineam mihi Martinus planta- vit, cujus te putatorem elegi. Jungere Martino in partem laboris, ut cum eodem merearis particeps esse mercedis.

7. Ex his igitur manifestum esse putamus, hunc, de quo loquimur, etiamsanctis adnumerandum con- fessoribus, quibus cum pro veritatis assertionem ad mortem usque certandi non defuisset audacia, in- oruentam ex hoste victoriam voluntas divina con- casset. Et ne dubites quem dignitatis locum etiam inter confesores obtineat, aspice Martinum sui tem- poris præsulum gemmam, ad quem dum divina re- velatione dirigitur, tanti viri consortio dignissimæ utique comprobatur. Quid quod eidem Martino ve- nientem sanctum præcursor angelus in visu revelat, et ut præsens facile possit agnosci, absentis vultus representat imaginem; jubet etiam, ut jamdudum sacerdotalem virum in ordinem promoveat sacerdo- tum. Nonne hoc totum ad astruendam valet beati viri confessoriam dignitatem? Valet profecto. Nam si probatorum hominum testificatio in rebus dubiis habere solet inconcussæ pondus auctoritatis, multo magis in hujus sacerdotis commendationem trina concurret auctoritas: divina primum, deinde ange- lica, tertio humana. Est enim a Deo electus, ab angelo præsentatus, a Martino sacratus.

8. Jure ergo solus dictus est multitudo, in quo solo martyris et confessoris dignitas invenitur: præterea qui tot in se miserorum per compassionem gestavit personas, quot habet humana vita miseras. Legem etenim Christi, « qui languores nostros ipse tulit, et peccata nostra ipse portavit in corpore suo super lignum (Isa. LIII, 4), » quæ non rapuit tunc exsolvens, vir justissimus studuit adimplere, memor exhortantis Apostoli: « Aliter alterius onera por- tate, et sic implebitis legem Christi (Galat. vi, 2). »

certe si simillimam habuisse ipsum, evadent Gesta S. Florentii, quæ sermone suo inseruit.

Nec solum alienis comprimebatur oneribus, sed etiam congratulabatur honoribus; nec magis in proximorum contristabatur adversis, quam congaudebat in prosperis. Denique si dici fas est, in alios quam in se magis propitius; sicut diligebat Deum plus proximo, sic proximum etiam plus seipso.

9. Nam qui alienis facile frangeretur infortunis, sua sic tolerabat æquanimiter, ut æquanimiter tolerant aliena, qui suis facile franguntur. Ita qui maternum aliis impendebat affectum, sibi quantum ad corpus quodammodo novercabatur. Non secus et in aliorum prosperis sic gaudebat, cum sua parvipenderet; sicut in suis gaudere solent, qui parvipendunt aliorum; nisi quod illi tales gaudium suum ad temporalem referunt voluptatem, hic tam gaudium quam mœrorem ad spiritualem dirigebat profectum. Quædam igitur modo seipsum quam proximum austerius diligebat. In se quidem tam constans et firmus erat, et ad omnem ventum immobilis, ut nec terrificis persecutionum inflecti posset aquilonibus, nec mulcentibus blanditiarum austris resolvi: quin potius omnem fortunam materiam sibi faciens virtutum, in adversis firmus, in prosperis cautus et humilis, velut arbor aromatica quædam, imo velut ortus [i. hortus] deliciarum ad omnem flabrorum impulsu spargebat latius suavitatis odorem, æquo animo tam bona quam mala suscipiens de manu Domini, a quo utraque noverat ad ipsorum gloriam sanctis immitti. Imperat quippe ventis Dominus et obediunt ei. « Surge, inquit, aquilo, et veni ausler, perfla hortum meum et fluant aromata illius (Cant. iv, 16). »

10. Hæc ergo sunt virtutum aromata, quæ nos de hoc horto colligere, quibus velut cibo quodam suavissimo vel condito poculo delectari debemus, cum et ipse Dominus his quasi ciborum et potuum diversitatibus glorians se relectum, ad hæc eadem comedenda et bibenda usque ad ebrietatem proprio adhortatur amicos. Dicit enim sic in Canticis canticorum: « Veni in hortum meum, soror mea sponsa, mesui myrrham meam cum aromatibus meis; comedi favum cum melle meo; bibi vinum meum cum lacte meo. Comedite, amici, et bibite, et inebriamini charissimi (Cant. v, 1). » Id ipsum nimirum manifestius ita dixisset: Visitavi secundum bonis virtutibus virum, in quo inveni, quam et acceptavi, pretiosum myrrham castimonie, qua corpora eorum, qui mundo mortui sunt et Deo vivunt, a corruptela libidinis illæsa servantur; inveni et alia ibidem virtutum aromata, et placuit mihi doctrinæ ipsius discretio, qui cum spiritualem intellectum in littera, hoc est, mel occultaret in cera, pro captu singulorum, vinum valentibus, lac infirmis noverat propinare. Hæc et vos bona imitami, quicumque vultis ad amicitiam meam pertinere. Si vultis mihi esse charissimi, hæc bibite et inebriamini; inebriamini ab ubertate domus meæ. Idem quippe est et domus et hortus, sed hortus aromaticus et domus eburnea, fragrans et ipsa diversis aromatibus. Nam « myrrha et gutta et cassia a domibus eburneis (Psal. xlv, 9) » redo-

lent. Invitati ergo ad tam jucundas epulas, nec ab alio quocunque, sed ab ipso Domino invitati, cum gratia recumbamus.

11. De hac nobis proposita velut delicatissimis ciborum et potuum varietatibus relecta mensa, gratissima quæque carpectes, edamus et bibamus, et divinæ, quam audivimus, adhortationi non segoiter obtemperare satavescentes, comedamus ad saturitatem, bibamus ad ebrietatem. Audiscimus et credamus, amemus et operemur; alioquin nihil valet auditus sermo non admistus fidei; « fides autem sine operibus mortua est (Jac. ii, 20). » Quod si difficile est, est autem revera difficile, ut universas beati hujus viri virtutes nunc temporis unus aliquis imitetur, eligat sibi ex omnibus aliqua, prout quisque singulis delectatur. « Unusquisque enim proprium habet donum a Deo, alius sic, alius autem sic (1 Cor. vii, 7). » Invitati autem sumus tam copiose ac magnifice, ut nulli deesse possit, quod eligat, cum potius omnes debitare possint quid eligant. Sed sive de bonis meliora, sive de melioribus eligantur optima, in nullo est infesta saturitas, cum in omnibus sit manifesta salubritas. Non sicut in carnalibus epulis, quæ suspectam faciunt saturitatem, ne saturitas pariat infirmitatem.

PARS II.

Sanctus virtutibus cardinalibus cæterisque inde fluentibus ornatissimus.

12. Sane huic, de quo loquimur, homini Dei satis constat nullam defuisse virtutum, quibus non in se tantum, sed etiam in aliis contraria vitia debellaret. Sed quia longum est ire per singulas, illas tantum quatuor principales, quas cæteræ omnes velut pedisequæ comitantur, in illo fuisse monstrabimus, prudentiam scilicet, temperantiam, fortitudinem, justitiam, ut ex his manifeste appareat eum qui tota retinuerit, partibus abundasse. Monstrabimus autem, quod polliciti sumus, hoc modo. Si enim prudentia est rerum bonarum et malarum utrumque scientia, quis in hac discretione illo ipse vigilantior invenitur? Nam quatuor modorum, quibus falli solent imprudentes, cum vel id, quod bonum est, malum, vel quod malum est, bonum putant; rursus quod nec bonum nec malum, id vel malum vel bonum, aut quod malum vel bonum, hoc nec malum nec bonum existimant, horum, inquam, quatuor modorum, vel potius incommodorum, vir prudens erravit in nullo. Terrenorum quidem bonorum, quam bonam homines putant, malam existimavit voluptatem; futurorum vero, quæ, quia non videntur, a quibusdam etiam graviter audiuntur, felicitatem optimam judicavit. Abjectionem, paupertatem, contumelias, quæ fugienda maxime mortales decepti putant, hic non solum non fugit, sed etiam pro laude, pro divitiis, pro gloria libenter amplexus est, magis eligens astringi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere jucunditatem. Aspicebat enim in remunerationem, « aspicebat in auctorem fidei consummatorem Jesum, qui proposito sibi gaudio astinuit crucem, confusione contempta (Hebr. xii, 2). »

13. Intelligebat stultum esse, qui super baculum arundineum innititur, stultum nihilominus, qui super arenam ædificat; quia et baculus ille manum perforat innitentis, et domus illa labefacta ventis ac fluctibus ædificantem plerumque pari ruina convolvit. Et ideo vir prudens « ædificavit domum suam supra petram (*Matth. vii, 26*), petra autem erat Christus (*I Cor. x, 4*); » et innixus est super lignum, lignum autem erat crucis. Unde et sapientiam ejus narrant populi, et laudem ejus nuntiat Ecclesia. Porro in illis mediis generis rebus, quæ nec bonæ sunt, nec malæ, non potuit ejus falli iudicium, qui plenam boni et mali notitiam retinebat. Si enim noverat quid esset bonum, noverat utique quid non esset. Nam, si sciat aliquis quid sit homo, scit profecto ab hominis natura discernere, cum videt aliud quam sit homo. Nec aliter in boni et mali notitia se res habet. Ex quibus non incongrue potest colligi perfectam in illo fuisse prudentiam, in quo nulla imprudentiæ portio reperitur. Nec minor in eodem temperantia, quæ mala, quæ per prudentiam distinguebat a bonis, blandientia repelleret, incitata retineret, instabilia firmaret.

14. Est enim temperantia rationis in libidinem atque alios praves impetus animi firma et moderata dominatio. Hanc ille dominationem in vitia tam late ac violenter exercuit, ut extinctis in se prius omnibus illicitis, in aliis quoque cupiditatem ac ceteros non rectos motus persequeretur, daret in vincula, suffocaret, proscriberet, ac in perpetuum relegaret. Quis enim audita ejus contra vitia disputatione, quæ disputatio cum veritatem ostenderet, se ipsam nullatenus ostentabat, auditis ejus sermonibus magis utilibus quam faciliis, rectis potius quam obscundantibus; qui, inquam, his auditis, non continuo qualemcunque virtutis amorem conciperet, ac per hoc consequenter sua disceret vitia refrenare, refrenata profligare, profligata penitus exterminare, præsertim cum doctoris vitam in nullo a sana doctrina discrepare videret? Atque ita suam ipse temperantiam in quosdam alios transferebat, in eos scilicet, « qui audientes et retinentes verbum fructum afferbant in patientia (*Luc. vii, 15*). » Nec tantum per sermonem exhortationis ad populum, sed et per virtutem orationis ad Deum, aliena vitia refrenabat. His ergo duobus modis victricis temperantiæ vexilla longe lateque circumtulit.

15. Sequitur ordine suo temperantiam fortitudo. Nam, sicut per temperantiam a malis blandientibus abstinemus, ita per fortitudinem terrorem incutientia non timemus. In his vero duobus malorum universitas continetur. Blanda generant cupiditatem; terribilia timorem. Timor vel cupiditas pariunt omne peccatum. Unde et Psalmista dicit: « Incensa igni et suffocata (*Psal. lxxix, 27*). » per suffocata timorem, per incensa significans cupiditatem. Est ergo necessaria contra cupiditatem temperantia, contra timorem fortitudo. Hanc igitur fortitudinem, quæ et magnanimitas appellatur, magis queri

A potest, quam tam vir sanctus habuerit, quam atrum habuerit, imo dubitari non potest quod et maximam habuerit. Quod utrumque indubitabile putamus et evidens ex eo vel maxime quod periculorum et laborum, sicut supra perstriuximus, adeo contemptor fuit, ut timore mortis revocari non posset, quin perhiberet in publico testimonium veritati. Unde enim timeret, qui sibi omnes jamdudum timoris causæ amputaverat? Nam timidum non facit animum nisi reprehensibilis vitæ conscientia. Mortem vero corporis vir sapiens timere non poterat; stultum quippe est timeri, quod vitari non potest. Denique securus obit, qui vitia sua ante se immobilavit. In tantum ergo mortem non timuit, ut percussori se ultro ingereret, et prolatam in se crudelem necis sententiam libenter audiret.

B 16. Hic forte dicat aliquis in hunc modum: Si magnanimus erat, nec appeteret pericula ut temerarius, nec formidaret ut timidus: vimirum inter temeritatem et timiditatem habitat fortitudo, nunquid eum, qui præ nimio mortis contemptu sponte se præcipitet in profluentem, jure quis dicat fortem vel magnanimum et non stultum potius ac temerarium? Ita, inquam, si quis se præcipitet inconsulte, hujusmodi temerarius est et non fortis: fortitudo enim est considerata periculorum susceptio et laborum perpessio. Qui autem pro veritatis assertionem pericula et labores non tantum suscipit et tolerat, sed etiam anticipat et amplexatur, hic non fortis, sed fortissimus etiam est vocandus. Diversitas enim causarum diversum facit in effectis iudicium. Quapropter etiam ei eodem mortis genere consummantur temerarius et vir fortis, hunc laude, illum vituperio dignum credimus et fatemur. Quod ergo iste sanctus pro lege Dei sui mortem voluit occupare, non erit ascribendum temeritati, sed ferventissimæ charitati. Laudemus itaque virum fortissimum, imo et fortitudinem ejus, et laudem referamus ad Dominum: nam « fortitudo sua et laus sua Dominus, qui factus est ei in salutem (*Psal. cxvii, 14*). »

C 17. Restat ut et justum fuisse moneremus, quem cæteras habuisse virtutes ostensum breviter estimamus. Justitiam vero idcirco ultimam in ordine locamus virtutum, quoniam ipsa reliquarum trium videtur esse perfectio. Est enim justitia virtus suam cuique tribuens dignitatem. Hac si forte quis careat, deliamsi bona prudenter a malis discernat; si contra blanda et aspera fortis resistat et temperans, tamen velut in salsugine arans, aut velut sterilis arena mundans semina, de laboribus manuum suarum fructum non comedet. Cum enim sit injustus, injuste sibi tribuens, quod est Dei, quamvis nihil habeat quod non acceperit, sic gloriabitur, quasi non acceperit (*I Cor. iv, 7*). Porro in peccatis propriis ad excusandas excusationes conversus in verba malitiæ, accusando naturæ infirmitatem audebit culpam refundere in auctorem. Hæc autem prima hominis justitia, ut divinæ gratiæ quidquid boni habet, vitio suo imputet quidquid mali.

18. Et justitia quidem parit humilitatem, injustitia vero superbiam generat. Superbia autem est radix quædam amara, quæ etiam in sanctorum solet cordibus pullulare; est quædam fera pessima nonnullos etiam perfectos solita devorare; nam cum cætera vitia tantum de vitis orientur, hoc solum monentrum nonnunquam ex virtutibus velut ex stirpe dissimili ducit originem. Hanc feram pessimam Jacob noverat patriarcha, cum diceret: « Fera pessima devoravit filium meum Joseph (Gen. xxxvii, 20). » Humilitas vero est efficacissimum quoddam remedium: tam ad tuendam quam ad restituendam animæ sanitatem. Nam et sanctos in bonitate conservat, et peccatores indubitanter ipsa justificat: nimirum non longediat ab innocentia humilis et verecunda peccati confessio. Evertit igitur iniquitates justitia per humilitatem, quas accumulatur injustitia per superbiam. Consummat virtutes justitia per humilitatem, quas destruit injustitia per superbiam.

19. Quocirca sanctum hunc nostrum cum cæteris virtutibus oportet habuisse justitiam, ne corpus absque capite, vel domum sine tecto videatur ædificasse; sed justum illum fuisse, quis dubitet, qui superius de ipso memorata cognoverit? Etenim debitam Creatori cum famulatu exhibere reverentiam, pars quædam est non parva justitiæ. Societatem generis humani sic servare, ut omnibus et singulis dignus impendatur affectus, pertinere videtur ad alteram. Hic vero talem se gessit erga Deum et homines, ut nec propter religionem inhumanus, nec propter humanitatem fieret irreligiosus. At vero in ipais hominum diversitatibus, quas vel sexus, vel ætas, vel conditio efficit, ita justitiæ dignitatem servavit, ut majoribus observantiam, minoribus indulgentiam, æqualibus gratiam, misericordiam infirmioribus, æquitatem omnibus exhiberet.

20. Postremo sobrie et juste et pie vixit in hoc sæculo (Tit. ii, 12), quorum primum in se, secundum in homines, tertium observavit in Deum. Sobrietatem quidem in hoc loco non eam tantum oportet intelligi, qua corporei cibi vel potus citra crapulam et ebrietatem compescitur appetitus, sed eam vel maxime, quæ mentem spiritualiter ab omnibus illicitorum coercent illecebris. Nam ita demum sobrie vixit, si sobrietatis integritatem servavit. Quidem enim peccata velut panem comedunt, et tanquam vinum bibunt iniquitatem. Et istud est pessimum ac fugiendum maxime genus ebrietatis, cum libidine, vel avaritia, vel superbia, vel aliquo hujusmodi venenato poculo mens lymphata nec rationis oculo verum potest internoscere, nec in via mandatorum Dei pedem operis stabilire; sed dissoluta quodammodo et enervis et litubans inquietæ et ærumnosæ voluptati, nescio quid, semper deesse conqueritur. Hanc ebrietatem sequitur æterna damnatio, ut beato Joanni, qui loquebatur ei, angelus revelavit: « Veni, inquit, ostendam tibi damnationem meretricis magnæ, hoc est generis meretricis, quæ sedet super aquas multas, dum sibi in fluxis et transitoriis ad-

quiescit: cum qua fornicati sunt reges terræ, et inebriati sunt, qui habitant terram, de vino prostitutionis ejus (Apoc. xvii, 1). » Et post pauca: « Cecidit, cecidit Babylon magna (Apoc. xiv, 8), » id est, bis cecidit, in corpore scilicet et anima; contrita est duplici contritione, et induta est « sicut diploide confusione sua (Psal. cviii, 29). » Hanc vir beatorum damnationem quia luxuriosis paratam noverat in futuro, omnibus modis sobrie vixit in hoc sæculo; ut nec vitii vinum gustaret, nec in vitis vino gustando modum excederet.

21. Justitiam autem erga homines illam servavit, quam misit Christus in terram, verbum consummans et abbrevians in æquitate: « Quod tibi non vis fieri, alii ne feceris (Tob. iv, 16; Luc. vi, 30; Matth. vii, 12). » Hoc enim si competenter intelligatur, consummatam proximi dilectionem ostendit, cum non solum revocet ab inferenda injuria, sed etiam provocet ad conferenda beneficia. Nam et hoc, quamvis verba non sonent, ex supra dicta conetat sententia, ut, quod tibi vis fieri, alii ne subtraheris. Nam si subtrahis, utique jam facis, quod tibi non vis fieri: nemo enim in necessitate sua sibi subtrahi vult auxilium. Porro autem si quis tam perversos existat, ut vel bonum aliquod sibi nolit fieri, vel etiam turpe aliquid fieri sibi velit, non ideo se vel ne aliis bene faciat hoc mandato prohibitum, vel ut aliis male faciat, existimet imperatum; imo potius hoc mandatum, quod hominibus datum est, sciat ad se nihil pertinere: quandoquidem ad hominum sortem ipse non pertinet; quippe qui vitio suo in irrationalem degeneravit naturam, dum in appetendis et fugiendis bestiale sequitur, si dici potest, iudicium. » Væ homini illi, quoniam dicit bonum malum et malum bonum, ponit tenebras lucem, et lucem tenebras (Isa. v, 20); » mente captus non minus, quam si iter properans, pedes in cælum erigat, capite in terram deflexo, vel cum retro graditur, si se putet procedere. At vero illis missum est hoc mandatum, qui nihil sibi volunt nisi sanctitatem, nihil nolunt præter iniquitatem, in seipsis ita compositi, ut in alios debeant jam extendi, qui per sobrietatem hoc merentur, ut et justitiam consequantur. Talis procul dubio sanctus, de quo loquimur, fuit; et ideo mandatum in alios recte servavit, ut nec mali quidquam proximo inferre vellet, nec boni aliquid denegaret.

22. Vixit et pie; quia propter pietatem sobrie vixit et juste: nam duo servavit propter tertium; dum propter Dei amorem se dilexit et proximum. Vixit ergo sobrie et juste et pie in hoc sæculo (Tit. ii, 12). Unde et securus partim expectat, partim jam ademptus est beatam spem et adventum glorie magni Dei, sine macula existens ante thronum æternum, et unus de « citharædis citharizantibus in citharis suis (Apoc. xiv, 2). » Non enim, ut plerique faciunt, bene locutus est et male vixit; quod nihil est aliud quam alienis fidibus citharizare. Talibus hodie citharædis plena sunt omnia, quorum cum vix

dignum nihil auditu respondebat; alienam tamen dictare non cessant. In isto, inquit, reprehensibile est hoc et illud; in hoc male transgrediuntur hic et ille. Præposteri homines et insulsi, qui, cum in sua nesciant, in aliena cithara citharizare præsumunt, tantam utique habitari damnationem, quantam boni citharædi mercedem; aut certe tanto ampliorem quanto præsumptionem addunt nequitie. Tales in Evangelio notat Dominus, « qui onera importabilia in humeros hominum ponunt, digito autem suo nolunt ea contingere (Matth. xxiii, 14); » vel, « qui trabem gestantes in proprio, fratris oculum de festuca redarguunt (Matth. vii, 3), » et cum sint ipsi cæcissimi, de cæcorum cucatu non vereantur præsumere.

23. Non ita sancti Dei meruerunt æternum regni consortium, nec tale nobis, ut de aliis taceam, beatus iste Florentius reliquit exemplum. Vivendo magis quam loquendo errantes correxit, nec tam sermone defuit instruendis; sed ordine suo utrumque adhibuit, ut prius faceret, sic doceret. Corripiebat sane vir justus peccatores; sed ut increpatio illa dulcedinem redoleret, non amaritudinem; misericordiam, non invidiam; votum, non odium. Sic objurgationem blanditiis, blanditias objurgatione temperabat, ut nec illæ resolverent, nec ista contristaret. Quod mali et inconsulti, dum falso imitari cupiunt, quæ natura disparavit, conglutinare laborantes, bonum dico et malum, monstrum faciunt de seipsis, ex eodem proprii cordis fonte vocem bonam et opus malum, id est dulcem et amaram aquam, quod natura non patitur, emanantes, et cum sint flicus fatuæ, uvarum fertilitatem mentientes.

PARS III.

Sancti imitatio remedium adversus omnia peccata.

24. Nos autem, fratres, imitantes boati hujus Patris nostri sapientiam, horum talium stultitiam fugiamus, vel si aliqui sumus tales, fugiamus nosmetipsos, ne si nos ipsi non fugiamus, alii jure nos fugiant. Discamus vel ipsi reprehendenda non committere, vel aliorum commissa non reprehendi. Nam reprehendere et posse reprehendi, hoc est medicum esse et infirmari. Imitemur tam in hoc quam in aliis bonis patronum nostrum, si volumus illigratum et solemne celebrare servitium. Ad hoc enim vel maxime sanctorum memorantur virtutes, ut bono exemplo provocentur audientes. De vicino sumamus exemplum: habemus ante oculos a Deo nobis provisum peculiarem patronum, ut non sit nobis necesse imitabile aliquid ex alieno mutuari. Et licet eadem inveniri possint in aliis, de propinquo tamen quam de remoto fonte æque dulces aquas plus delectat haurire, præsertim cujus vena indeficiens absque sui detrimento, imo ad suum incrementum sufficit omnibus recreandis. Sunt autem hujus fontis aquæ tam salubres, ut ægrotantium animarum quantacunque diversitatis æstus possint et febres

25. Si quis aliena felicitate infelix, aliena pinguedine macilentus, pallet invidia, ut sibi putet ablatum, quidquid aliis est collatum, ex hoc nostro fonte plenum fraternæ charitatis cyathum sumat, continuo non hanc solum pestem evadet, sed et huic aliam consequentem, et quamvis diversam, non minus tamen mortiferam, hoc est, ut sibi putet collatum quidquid aliis est ablatum. At qualem de recepta sanitate fructum capiet? Ut scilicet aliena omnia sua reputans, damna etiam aliorum sibi convertat in lucrum. Nam de proximi lucro et damno contristari et congratulari æquam utrumque habet apud Deum remunerationem. Iracundia dementatus aliquis dispumat insaniam? Huc accedat et bibat patientiam; exuet illico ferinum cum animo vultum, et ad mentem reversus, tam longe se mirabitur peregrinatum, pudabit insanie, et insolentis morbi recollectio materiam dabit cautelæ.

26. Qui seminat inter fratres discordias, tanquam si in mel argat absinthium; postquam hoc de fonte pacem potaverit, adunabit quod sparse rat; extirpabit quod seminaverat. Pigebit et istum erroris præteriti, et de cætero laboris infructuosi dispendia utilioris exercitii compensatione taxabit. Quibusdam non census, sed census inopia laborantibus, tanta aviditatis flamma depopulatur medullas, ut quanto plura capiunt, tanto plus cupiant. Quod idcirco illis evenit, quoniam non satietatis remedia, sed cupiditatis sumunt irritamenta: nam qui pecunia sedare vult avaritiam, assensum rogam oleo tentat extinguere. Bibant ergo et isti plenum sufficientia poculum largitatis, ne in æterna, quod fugiunt, permaneant egestate. Æque enim est egestas, et qui non habet id quod satis est, et cui non est satis id quod habet.

27. Est et aliud morbi genus, et quidem nostris temporibus satis frequens, eorum videlicet qui sua levi, aliorum gravi delicta ponderant; et e converso magni proprias æstimantes, aliorum parvipendunt virtutes. Faciunt hi quidem in virtutibus quod perfidi negotiatores in mercibus, in vitis autem contrario modo ii quam illi, sed apud Deum abominabiles ii et illi. Nam pondus et pondus, statera et statera, utrumque abominabile est apud Deum. Utinam saltem in aliam potius partem peccarent! hoc est, ut aliena mala suis leviora, bona vero sua minoris quam aliena ponderis æstimarent. Istud enim propter humilitatem quasi excusabile, illud vero propter superbiam est revera damnabile. Culpabile tamen est hoc et illud; quia id exigit inflexa justitia, ut ejusdem ponderis existentia vel aliena vel nostra eadem judicii lance pensemus. Isti quoque contrariam valetudinem facile possunt evadere, si de hoc nostro fonte imitationis hydria hauriant æquitatem. Hinc et superbus ducat humilitatem, et prodigus parcitatem; castitatem lascivus, abstinentiam luxuriosus. Sed quis omnes spiritualium ægritudinum modos enumeret? Hoc tantum ad præsentis patroni laudem veraciter dixisse sufficiat, nullum vitii esse

genus, cui non oppositam habuerit ipse virtutem. Quæ quamvis singulæ non legantur, ex aliis tamen aliæ colliguntur. Nam ex partibus tota, ex majoribus minora, ex apertis obscura pensamus. Et licet propriarum fuerit occultator ipse virtutum, sicut alii vitiorum, tot tamen leguntur et tantæ, ut plures vel majores non sit opus desiderare.

28. Postremo quanti sit meriti apud Deum, signorum frequens ostensio manifestat. Nam ut illa prætermittam, quæ quidem pro sui multitudine ac magnitudine nec breve temporis spatium, nec modernum desiderant scriptoris ingenium, ea dico quæ post beatum ad cælos transitum diversis temporibus et locis mirabiliter operatus est, quis ea saltem, quæ mortali adhuc carne gravatus lætitavit, miracula dignitate relationis æquiparet? Et ut verbi causa pauca de multis, parva de magnis breviter attingamus, potentiam ejus Rhodanus interrogatus respondet, Vigenna fluvius protestatur, Ligeris domesticus ejus divulgat. Nam Rhodani quidem rapidissimas undas et formidatos vortices veteri et dissoluta nave, sola ille remige, transmeavit majori forte miraculo, quam si audaci pede calcatis aquis apostolicus viator ferocem fluvium transmisisset. Tunc enim solus ipse servatus esset in miraculo, nunc vero et servatæ naviculæ dissoluta vetustas videtur congeminare virtutem. Non enim ipsum navis, sed ipse navem transportavit. Et ut opinatissimi fluvii ripas quoque consuetarum sibi virtutum muneribus illustraret, obvium mox et in ipso recentis miraculi exitu dæmoniacum, vinculis significantem insaniam, misericordia tactus purgavit, spiritualibus et corporeis nexibus absolutum. Raptim et in proclinetu duo hæc continuavit miracula, ut qui die Dominica ad missarum solemniam festinaret Lugdunum.

29. Facta enim sunt hæc, et multa præter hæc alia, in illa peregrinatione, qua, relicto natali solo, locum nostrum, divina voce monitus, adventabat. Nec longe divisum, quamvis longe diverso gestum tempore, sensit et Vigenna miraculum, duplici et ipse virtute alveum insignitus et ripas. Nam dum quodam tempore vir sanctus in loco habitationis suæ aliquandiu jam commoratus, beatum Martinum ex consuetudine annua reviseret, absorptum a præfato flumine ante aliquot dies pauperculæ cæcæ filium, in ripa sedentis et flentis, a Deo impetravit, et his orbæ mulierculæ cum filio reddidit lumen amissum. Ligeris quoque duplex tropæum erexit in ripis ex uno quidem loco, quem et ipse incoluit, serpentum expulsa multitudine, ex alio vero, qui Murus antiquitus vocabatur, expulso uno non multis, sed ipso præ magnitudine instar existente multitudinis. Præterea confluentes ad se, velut ægros ad medicum, cæcos, claudos, dæmoniacos et variis obsessos languoribus illuminavit, erexit, mundavit, sanavit. Nam hoc omne genus locum, quem idoneum

contemplationi suæ latibulum fore crediderat, brevi ejus cognita sanctitate, cupide frequentabant.

30. Postremo si miraculorum desideratur potentia, quid admiratione dignius, quam in tanta vitæ mortalis inconstantia stabilem mentis servare constantiam? Hoc plane est in igne positum non ardere, vel in flumine mersum non obrui. Vixit annis 123; quanta, putamus, illum in tanto temporis intervallo eventuum pulsavit varietas, cum uno vix die in eodem statu vita humana perduret? Sed ita vir beatus ad omnia sese comparaverat, ita velut in pace bello providerat necessaria, ut nulla eum fortunæ varietas offenderet imparatum. Induxerat animum nihil boni prætermittere, etiamsi damnoeum, etiamsi periculosum, etiamsi laboriosum foret, et econtra nullum malum admittere, etiamsi lucrum esset allaturum, si voluptatem, si securitatem. Ita vir bonus, perfectus, absolutus, quem malum facere nulla vis, nulla necessitas posset, velut aurum probatissimum, vel pretiosa quælibet margarita, dignus in æternum Domini thesaurum reponi, translatus est in cælum, et reputans inter filios Dei, illius beatæ civitatis incolæ, cujus structura muri ex lapide pretioso, ipsa vero a civilas ex auro mundo, et non eget sole neque luna: nam claritas Dei illuminavit illam et lucerna ejus Agnus est (*Apoc. xxi, 13*). »

31. Et nos ergo, fratres, si claritatis illius volumus fore participes, quis autem insanus hoc nolit? abiciamus opera tenebrarum, si pacem et quietem æternam diligimus, ærumnosis et turbulentis sæculi curis renuntiemus. Multi enim, quod deterius est, quanto a negotiis vacant in corpore, tanto molestius negotiantur in mente, et quod bonis studiis insumere debebant otium, frustra consumunt in desideriis negotiorum. Projiciamus quæcunque tumultum movent animo, quæ tranquillitatem menti excutunt, quæ distractum cor in multa laniant, quæ si aliter expelli nequirent, ut ait Seneca, cor ipsum revellendum erat cum eis. Quod exteriori habitu pollicemur, in interiori homine teneamus. Nam religioso vultu vel habitu animum irreligiosum velare, hoc est ovem exterius, intrinsecus lupum gestare; quod quidem multo est deterius, quam si lupum prætenderes, ovem interius occultares. Mundemus conscientiam ab operibus mortuis, quadremus nos virtutibus supra dictis. Nullus enim lapis, nisi vivus et quadratus, sanctæ illius civitatis ingrediatur ædificium, quæ et ipsa in quadro posita est, cujus longitudo et latitudo et altitudo æqualia sunt, quod nihil est aliud quam esse solidum et quadratum. Consolidemus itaque et conquadremus huic beatissimo Patri nostro, cujus annuam solemnitatem recolimus, ut et ipsi tanquam lapides vivi, lapides quadrati, cœdificari mereamur in cœleste habitaculum Dei in Spiritu sancto. Amen.